DVELLVM POETICVM.

Contendentibus,

GEORGIO EGLISEMMIO

MEDICO REGIO,

&

GEORGIO BVCHANANO

REGIO PRÆCEPTORE.

Pro

Dignitate paraphraſeos Pſalmi centeſimi

Quarti.

Adiectis prophylacticis aduerſus

Andreæ Meluini Cauillum in

Aram Regiam, aliiſq;

Epigrammatis.



LONDINI

Excudebat *Eduardus Aldæus,*

Anno Dom. 1618.

1213.k.19
3

IACOBO TRISMEGISTO MAGNÆ BRITANNIÆ *Regi.*

PLæriq; omnes (Rex maxime, Rex optime) te vt Regem colunt, ego te vt regno digniſsimum. Si quandò menti obuerſaris meæ, ſimul quo te ſalutem, id Maronis occurrit.

Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus
Seu pacem ſeu bella geram, tibi maxima rerum
Verborúmq; fides.

Quantùm æquitate in regnis temperandis, tantùm ingenij acumine, dicendi lepore, arcanorum ſcientiâ, & præſentium opinionem, & ſuperiorum gloriam viciſti.

Cui ergo Phæbæum hoc duellum aptiùs quàm tuæ Majeſtati ſacrabitur? tuorum eſt

 ſubdito-

ſubditorum; tuorum famulorum, non pari fide tuorum. Fidem erga te meam, priuabo hic potius debito teſtimonio (vt de ſe Tullius) quàm id cum mea laude communicem. At peſsimè diſperea m nî optimè probauero antagoniſtam Buchananum, impietatem in Deum, perfidiam in Principem, tyrannidem in Muſas exercuiſſe, quantumuis ab impuro puritanorum cætu laudibus ad cælos feratur. Impietatis notam an declinabit, qui Baccho priſcorum ritu ſeriò ſacrificium obtulit? Qui Ronæ inſulæ cultores deſcribens, homines appellat rudes ac omnis propè religionis expertes: eiuſmodi tamen ſolos eſſe illos cenſet, ſolos (inquam) quibus nec aliud quidquam, præterquàm quod ſuæ conditionis commoditatem non intelligant, ad ſummã fælicitatem deeſſe videatur? Piúſne an impius iſte qui in hominib' omnis propè religionis expertib', iiſq; ſolis, ſummam fælicitatem collocauit? Num Chriſticola probus, qui concionatorem familiare ientaculum pro ſacramento, ex improuiſo vſurpantem collaudauit? An Principi fidus, qui Reginam inſontem optimè

de

de ſe meritam, tot mendacijs, tot calumnijs inſectans, Reges deponendos, plectendos, necãdos populo ſubſternit? Innumera hùc ſpectantia maioris otij, grauioris negotij, tempori, & volumini oportuniori ſeruanda prætereo, ſolã ejus poëſin ſuo ſæculo magni habitam nunc attingam. Vna centeſimi quarti Pſalmi poëtica paraphraſis, ornatiſſima poëmatum Buchanani temerè hactenùs iudicata eſt. Verùm ſi elegantiæ poëticæ regulis, non imperitorum opinionibus nitẽdum, licet nominati carminis materies lectiſsima ſit, ipſum tamen carmen non vſq; adeò politum eſſe, adnitar demõſtrare. Ad neglectæ poëſeos cultum, neſcio quo fato Dij ſuperi, quo conſilio homines, altiora molientem reuocârunt. Poſtulatus num recitatum Buchanani poëma incomparabile arbitrarer; vbi negaſſem, incomparabilis quidam Buchanani admirator & buccinator, vt publicis certaminum præmijs qualemcunq; famam mihi partam & mihi ſpretã, non ſuis ſed alienis viribus imminueret, ſtatìm propoſito pretio; depoſito pignore, præfixo die, exhibitâ chartâ, parato calamo,

 me

me ad fidem, ad ſyngraphum, ad certamen cum Buchanano, nihil minùs cogitantẽ prouocauit. Quod equidem eò ſuſcepi lubentiùs, quò ardentiùs, pernicioſam multorum opinionem, Buchananum hiſtoriæ veritate & ſcribendi nitore, cunctis præcellere, non ſolùm viuis ſed etiam mortuis inuidendo exiſtimantium, cunctorum animis extirpatam cupiebam. Mihi prætereà gaudebam, tàm præclaram occaſionem oblatam, quâ ad intermiſſa poëſeos ſtudia recolenda tandèm aliquandò adſtringerer. Vt olìm puero mihi apud Majeſtatẽ tuam & apud propinquos Muſæ gratiolam conciliârunt; vtq; ad honorem ſolennem mihi peregrè per inuidorum,

— — Medias acies, mediòſq; per ignes
Inuenere viam: — — — — —

Ità ſi fors iuuerit, poſſe modò lauream augere conijciens, mecũ tacitus concinebam.

— — — Poſſit quid viuida virtus
Experiare licet, non longè ſcilicet hoſtes
Quærendi nobis. — — — — — —

Nec longè quoq; Majeſtatem Regiam ante datum ſuſceptæ velitationis ſpecimẽ, verbis detinebo.

Ergo

Ergo Rex ſereniſsime, tàm animo quàm vultu ſereno, quâ ſoles benignitate auctorem, eâdem tibi dicatam hanc luctam contempleris.

Vale, flore, viue, Regum Rex optime.

Majeſtatis tuæ,

Subditus humilis,

Seruus fidelis,

Propugnator acerrimus,

GEORGIVS EGLISEMMIVS.

EIDEM EIVSDEM

De

INGENIO REGIO, *BVCHANANI* Præceptoris ſui toxicis intacto, & illibato.

Epigramma.

CVrarum labor eſt ignes, IACOBE, *tuarum,*
Cunarum eſt angues exuperare labor.
Surgenti è cunis, agitans tibi ſubdola curas
Te Buchananeiæ *ſepſit Echidna ſchola.*
Ne caperet tenerum mellito felle Monarcham,
Muſarum donis ἀυτοδιδάκτος *eras.*
Ille parens Diuûm nutu vaga ſydera torquens
Te docuit, rerum qui tibi frena dedit.
Certiùs à veris docuit ſecludere falſa,
Quàm Buchananæi *te potuere ſales.*

DUELLUM POETICUM PRO Dignitate paraphraſeos Pſalmi Centeſimi quarti.

Decertantibus,

GEORGIO { EGLISEMMIO MEDICO / BUCHANANO PAEDONOMO } REGIO.

Cui annexa Epigrammata,

Nec-non

Aſtrologicum de cauſis & effectibus noui Cometæ Iudicium.





LONDINI

Typis *Eduardi Aldæi*, Anno Dom. 1619.

IACOBO MAGNO, MAGNÆ BRITANNIÆ Regi, *Author* Conſilij ſui rationem *reddit.*

SI meis mihi vitam auſpicijs tráſigere liceret,(potentiſſime Rex, Regum decus, literatorum deliciæ) dignâ eorum commendatione, qui literis penè labentibus gnauiter conati ſunt priſtinum reſtituere ſplendorem, nihil antiquius, nihil iucundius ducerem. E quibus Georgium Buchananum

fælicis-

fælicisſimo illuſtratum ingenio, nî tanto Deorum munere abuti maluiſſet, tota literatorum cohors diù multúmq; fuiſſet venerata. O ancipitem caſum! o quàm cuperem viri huius famam ſartam tectámq;!

— — — — Nec enim benefacta, malignè
Detrectare meum eſt. — — — — —

Quàm lubenti animo laſſatis ejus manibus parcerem, ſi vel ipſe tantillùm Regibus, Reginæ innocuæ, veris heroïbus pepercisſet. Non ſic Althæa mater, ob cæſos Toxea & Plexippum fratres, in filium Meleagrum vltionem meditata, num funereum fatalis ſtipitis torrem in ignes conijceret, dubitabat.

Tum conata quatèr flammis imponere ramum,
Cæpta quatèr tenuit, pugnat materq; ſororq;
Et diuerſa trahunt vnum duo nomina pectus.

Non ſic inquam illa ſecum luctata.

Et cupio, & nequeo, quid agam? modò vulnera fra-
Ante oculos mihi ſunt, & tanta cædis imago; (trũ,
Nunc animum pietas, maternáq; nomina frangunt.

Non ſic angitur, vt me ſolicitat, hinc pietas in patriam & Principem, illinc in Buchanani genium & ingenium charitas, hìc vindicta in hoſtem, illìc commiſeratio in

demor-

demortuum. Sed vinces o Patria, vincetis Principes, nec patiar vel Principes ab ipſo, vel me ab ejus aſſeclis vlteriùs voce ſcriptóue laceſsiri. Quarè ſi quid in hiſtoria ſiniſtro præter veritatem affectu, ſi quid in poëſi præpoſtero contra elegantiam lapſu ab eo vitiatum deprehendi, nunc prouocatus cùm hìc tùm alibì recludam. Atq; innumera, quæ, alioquì per me non ſtetiſſet, quin delituiſſent intacta, caſtigationi ſubijciam. Fruſtrà in poſterum Buchanani ſectatores ſuis erroribus ceu auream gnomen prætexent,

Authore magno deſipere, penè ſapere eſt.

Authoribus fidem, gratiam, magnitudinem adſtruens cauſa, probitas eſt, ſcientia eſt; in Buchanano, vtramq; ſi non totam deſiderari, mutilam ſaltèm claudámq; incedere vtramq; demonſtrabo: fine præſertim eo, nè poſteritas authore hoc irretita idem faciat quod teſte Tullio ſeditioſi ciues ſolent. *Cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicunt fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur.* Temerarium certè facinus videbor patraturus, tanti viri famam

longè lateq; diffuſam labefactando, noſtratibus potiſsimùm intemerandam, citra maculam, ſupra reprehenſionis nixum collocatam. At opinionis iſtius cultores ij ferè ſunt, qui librorum titulos ſolos perluſtrant, libros ipſos non perlegunt, multò minùs examinando diſcutiunt, vel diſcutere poſſunt. Ne hos pigeat pudeátue cum eloquij parente candidè proloqui, *Quam multa vident pictores in vmbris & eminentiâ, quæ nos non videmus? Quam multa quæ nos fugiunt, in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati?* Mihi Deus teſtis, nihil a Buchanano ſeu ſermone vincto ſeu ſoluto euulgatum, quod à me non perlectum & cum eloquentiæ vtriuſq; Coryphæis collatum. Multa licet nitidè, multa verè, multa politē, imò ingeniosē quamplurima expreſſerit; plurima tamen ſpurcē, falſò, rudiùs, hebetiùs, profudit. Nec quidquam in illo redarguam, ſeu veritatem, ſeu ornatum ſpectes, quod non authoribus fide digniſsimis comprobem. Proh Iupiter, quam ſæpē ille ſibi diſsimilis, ſtilo nunc graui, nunc puerili, modò veriſſima, modò à vero alieniſsima ſuffarcinans!

— — — *Nec plura ſinit tempúſq; pudórq;*
Dicere: maius opus magni certaminis vrget.

Opus magni quidèm certaminis, mihi in expectanti, ſed non inuito indictum. Quod Majeſtati tuæ ſacratum volui, non vt indè quidquam tuis laudibus adijcerem: (tibi enim abundè omnia ſuppetunt, quæ conſequi naturâ, fortunâ, ingenio, aut diligentiâ homines poſſunt,) neq; vt tui nominis ſplendore tanquam ſole inuidorum oculos obtundam (nam ab inuidorum toruo aſpectu, diro latratu, vano morſu, ne ſol quidem lunâ tutior, multò minùs Reges, ſi teſtis deeſſet, Buchananus eſſet) ſed vt annorum & animorum renouatione, obſequij erga te mei renouatam teſſeram offerrem. Vale Regum & virorum ſpectatiſsime.

Majeſtati tuæ,

Addictiſſimus Famulus,

Georgius Egliſemmius Medicus.

In clariſsimum ſuorum ciuium,

Georgÿ Egliſemmÿ & *Georgij Buchanani* Agonem.

Thomæ Dempſteri I. C. Hiſtorici Regij *& Piſani legum interpretis.*

Epigramma.

NVlla Albanus Agon poſthac certamina iactet,
Nec Capitolinâ qui ſedet arce pater.
Non aræ Lugdunenſis renouentur honores,
Non aurata hircus cornua Bacche ferat.
Fictum argumentum vos traxerat arte furentes,
Dum colitis cæcos ambitione Duces.
Sacri Regis opus citat in præconia vates,
Quos tulit egregÿs Scotia fæta viris.
Hic patriæ lumen Regis rexiſſe iuuentam,
Gaudet, & Hiſtorÿs nobile nomen habet.
Delicias cui Muſa ſuas donauit abundè,
Ingeniumq; colunt Galliæ & Heſperiæ.
Splendor at hic gentis qui natus Apolline dextro,
Vatiſq; & Medici Regÿ honore valet.
Quem cathedra Pariſiaca ſtupuere tonantem,
Explicat vt nodos docta Stagira tuos.
Sumite lemniſcos, & palmas ſumite vterq;
Quos vltrò virtus ingenioſa dedit.
Ite pares ambo, meritis & honoribus ambo,
Laudibus & ſacri carminis ite pares.

DE

Georgii Eglisemmii

De Buchananæa CIIII. Pſalmi poetica paraphraſi, iudicium.

QVisquis Buchanani genium ritè nouerit, eiuſdem in Muſas tyrannicæ licentiæ defendendæ gratiâ, proſodiam ab illo exaratam animaduertet; non minùs quàm Hiſtoriam Scotorum ad dialogos de iure regni perperàm confirmandos. Adeò tamen in arte ſua cæcutijt vt erroribus omni excuſatione maioribus nihil ſolidè potuerit vnquàm prætendere.

In primis ſyllabam illuſtrium omnium (obſcuriores nil moror) grammaticorum regulis longã, hìc inſulsè corripuit, nempè vltimam in *denuò* à nomine (putà *de nouo*) deductam.

Secundò ſolæciſmum turpiter commiſit, his verſibus.

Néue iterùm immiſſa tellus ſtagnaret ab vnda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Si enim epithetum (*compreſſa*) attribuat *telluri*, falſam reddet orationem: & vt loquitur *Iulius Scaliger* ſolæciſmus erit in Philoſophia. Sin attribuat *vndæ*, ſolæcon dabit in grãmatica, ſubiectũ & ſubſtantiuum collocans in obliquo caſu, epithetum in recto. Nec licebit ei ſe defendere ſubaudiendo ſubiectum repetitũ in recto, ſola enim imperſonalia hoc admittunt.

Tertiò carmina ſolutam potiùs orationem quàm heroici verſus maieſtatem redolentia effudit ibidèm, hæc ſcilicet.

Pollenti ſtabilita manu terra obruta quondam &c.
Veliferas circumnant puppes, grandia cete &c.
Exultant tot monſtra ingentia & horrida viſu &c.

Necnon iſta,

Te Tollente animam ſubitò exanimata recurrunt,
In cinerem, inſpirante animam te denuò, ſurgit &c.

Et illa,

At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet, ac nos &c.

Nec vrgebo admodùm carmina quamproximè ad ridiculam leoninorum naturam accedentia, quorum medio & penthemimeri finis reſonat. Nam etſi non inuenuſta ſit quandoq; literæ vnius reſonantia, vt.

Fluctibus

Fluctibus vt fuſo ſuper ardua culmina velo,
Item,
Néue iterùm immiſſa tellus ſtagnaret ab vnda.

Tamen quò plurium literarum & quò pluribus verſibus hæc reſonantia fit, eò deformius carmen redditur. An qui venuſtatem aſſequi poteſt, næuis gaudebit hujuſmodi?

Ætheris æternas rector moliris habenas &c.
Te decor auratis, ambit te gloria pennis &c.
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas &c.
Paſcua, quiq; feris onager ſaxa inuia ſyluis &c.
Tutus vt abſtruſis habitaret echinus in antris &c.
Ducis ad occiduas conſtanti tramite metas &c.
Indè ſuperfuſis cuncta inuoluentibus vmbris &c.
Prædator vacuis errare leunculus aruis &c.
Abditur occultis prædatrix turba cauernis &c.
Fluctibus immenſas circumplectentia terras &c.
Squamigeræ tremulâ per ſtagna liquentia caudâ &c.
Quæq; ſuo proprium poſcunt in tempore victum &c.
Et deſolatas gens incolit aurea terras &c.

Sapiunt hæc ferè incultũ id ſeculũ quo ſenes & circulatores rythmicis hexametris vnicè delectabantur; cuiuſmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Weſtmonaſterij appenſum.

Ni fallat fatum, Scoti quocunq; locatum,
Inuenient lapidem regnare tenentur ibidèm.

Quartò coniunctiones *&*, *atq;* *que*, *ac*, toties iteratas poſuit nempe 34. vt nauſeam pariant: *vt dominumq; patrēq; & circumfuſum, & liquidas, & leuibus, flammaq; tonitrùq; ſenſimq; inq; quiq;*

mulcentq; ſyluisq; campoſq; fæcundaq; quæq; quæq; quiq; puroq; & è cælo, inq; hominumq; boumq; ſed & æquora, & horrida, atq; adeò, teq; quæq; & deſolatas ſuumq; facilìſq; bonuſq; & ſcelerum, ac nos, dominumque.

Quintò eliſiones plures, puta 35. quæ in carmine polito parciùs vſurpādæ ſunt, *Vt ventorum alis, accinctæ auræ, iuſſa accipiant, terra obruta, inſonuere auræ, cernere erat, néue iterúm immiſſâ, ſaxa inuia, vnde olus, geniale aſſurgat, quæq; hilarent, quiq; hilaret, vbi implumes, lunæ incertos, puróque accenſum, cuncta inuoluentibus, patrem expoſcit, monſtra ingentia & horrida, atq; adeò, a te vno, tollente animam, ſubitò exanimata, in cinerem inſpirante animam, ſuumq; in ſæcula, tantùm ille, nempe illo oblector, at vero impietas, planè extirpetur, radice & ſcelerum.*

Inter quas omnium duriſſimæ ſunt quæ in quintum pedem proximè incidunt, vt

—— —— —— —— *Terra obruta quondam,*
—— —— —— —— *Saxa inuia ſyluis.*

Sextò congeſſit omnia ſupplementa miſerè laborantis ingenij, *nempe, tùm, tantùm, ſic, vndè, indè, tam, tot, tu, te, tibi. His locis, tùm liquidi fontes, tùm fera prorepit, nec tantùm, tantùm ille, ſic pater, ſic eat, tam varijs, tam laxo, tot millia, tot monſtra, Inde ſitim ſedent, inde pecus, vnde olus, inde ſuperfuſis, te rerum, te decor, tu tibi, tu pater, tu timidis, tu lunæ, te patrem, te didis, à te vno, te magnam, te rurſus vultum, te tollente, teq; quæq; &c.* Quæ ab

elegantia

elegantia iterationis poeticæ longè diſtant, ob multorum carminum moram interiectam.

Septimò nugationes vt *dein rurſùs ſole renato*, item, *nullo cum fine per æuum. Patrem, parens, pater, patrem, genitor, pater, & pater optime*, deniq; *patrem*.

Vt phraſium duarum priorum nugationes perſpicuæ reddantur, obſeruetur particulam (*re*) in vocum compoſitarum ſtructura idem penitùs deſignare, quod *rurſùs*. Ergo *renato* id eſt *rurſùs nato*, proindè cum dixit, *dein rurſùs ſole renato*, idem præſtitit ac ſi dixiſſet, *dein rurſùs ſole rurſùs nato*. Similiter *nullo cum fine*, idem valet quod *per æuum*. Idcircò dùm protulit, *nullo cum fine per æuum*, ſenſu perinde eſt ac ſi protuliſſet, *per æuum per æuum*. Deindè *per æuum* id eſt *nullo cum fine*, quare qui dixerit *nullo cum fine per æuum*, perinde loquetur, ac ſi diceret, *nullo cum fine, nullo cum fine*, Cætera ſeipſis patent.

Quin imò eorundem epithetorum reiteratio & diuerſis ſubiectis applicatio exibilanda eſt in tam exiguo poemate. *Per virides campos, virides ramos, viridis fæni, viridantis oliui, fæcunda ſemina, fæcunda tellus, leuibus alis, leuibus pennis*.

Octauò reſonantia literarũ finalium in vocibus ſimiliter deſinentib⁹ in (a) indigna eſt erudito poetâ. Vt in hoc poemate aliquotiès, nempe,

Squamigeræ tremulâ per ſtagna liquentia caudâ.

Item,

Exultant tot monſtra ingentia & horrida viſu.

Et in æ

Apparent accincta aura flammaq́ȝ miniſtra.

Nonò integrorum penè verſuum, in alijs authoribus, & in ipſo alibì poſitorum, mutuatio egeſtatem denotat, vt horum.

Ætheris æternas rector moliris habenas,

Item,

Donec ſera rubens accendat lumina veſper.

Deniq; digreſſiones à ſenſu textus & omiſſiones partium textus, minùs rectam arguunt paraphraſin, vt collatione verſuum cum ſacro codice liquidò conſtabit.

Alia verò plurima Buchanani errata caſtigatione digniſſima, ipſis tyronibus puluerem grammaticum verſantibus obuia, vt *plangit*, *ne ſtagnaret*, item *mugitus leunculi* & ſimilia, lubens prætereo; cuncta hæc limatiſſimo celiberrimæ Pariſienſis Academiæ iudicio ſubmittens, hæc enim vtrique noſtrum benigna fuit parens ſtudiorum.

His peractis obſeruatiunculis de illius & noſtro poemate iudicet qui volet; ſi qui volet, iudicio valet incorrupto.

CARMI-

CARMINIS MATERIES.

Psalmvs CIIII. aliàs CIII.

Verſio Diui Hieronymi.

1 *BEnedic anima mea domino : Domine Deus meus*
magnificatus es vehementer.
2 *Confeſſionem & decorem induiſti : amictus lumine ſi-*
cut veſtimento.
3 *Extendens cœlum ſicut pellem : qui tegis aquis ſuperi-*
ora eius.
Qui ponis nubem aſcenſum tuum : qui ambulas ſuper
pennas ventorum.
4 *Qui facis angelos tuos Spiritus ; & miniſtros tuos ig-*
nem vrentem.
5 *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam : non in-*
clinabitur in ſeculum ſeculi.
6 *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius : ſuper mon-*
tes ſtabunt aquæ.
7 *Ab increpatione tua fugient : à voce tonitrui tui formi-*
dabunt.
8 *Aſcendunt montes & deſcendunt campi : in locum quem*
fundaſti eis.
9 *Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur : neq;*
conuertentur operire terram.
10 *Qui emittis fontes in conuallibus : inter medium monti-*
um pertranſibunt aquæ.

11 *Potabunt*

11 *Potabunt omnes beſtiæ agri : expectabunt onagri in ſiti ſua.*
12 *Super ea volucres cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.*
13 *Rigans montes de ſuperioribus ſuis : de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*
14 *Producens fœnum iumentis : & herbam ſeruituti hominum.*
15 *Vt educas panem de terra : & vinum lætificet cor hominis.*
16 *Vt exhilaret faciem in oleo : & panis cor hominis confirmet.*
17 *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit : illic paſſeres nidificabunt.*
18 *Herodij domus dux eſt eorum : montes excelſi ceruis, petra refugium herinacijs.*
19 *Fecit lunam in tempora : ſol cognouit occaſum ſuum.*
20 *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox : in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.*
21 *Catuli Leonum rugientes vt rapiant : & quærant à Deo eſcam ſibi.*
22 *Ortus eſt ſol & congregati ſunt : & in cubilibus ſuis collocabuntur.*
23 *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſq; ad veſperam.*
24 *Quàm magnificata ſunt opera tua domine ! omnia in ſapientia feciſti : impleta eſt terra poſſeſſione tua.*
25 *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus : illic reptilia quorum non eſt numerus.*
26 *Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.*
27 *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei : omnia à te expectant vt des illis eſcam in tempore.*
28 *Dante te illis colligent : aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

29 *A vertente autem te faciem, turbabuntur : auferes ſpi-
ritum eorum & deficient , & in puluerem ſuum re-
uertentur.*
30 *Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis fa-
ciem terræ.*
31 *Sit gloria Domini in ſeculum : lætabitur Dominus in
operibus ſuis.*
32 *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere : qui tangit
montes, & fumigant.*
33 *Cantabo Domino in vita mea : pſallam Deo meo quan-
diu ſum.*
34 *Iucundum ſit ei eloquium meum : ego verò delectabor
in Domino.*
35 *Deficient peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint :
benedic anima mea Domino,* Halcluia.

VERSIO B. ARIÆ MONTANI.

1 *Benedic anima mea Domino. Domine Deus mi magnificatus es vehementer: gloriam & decorem indutus es.*

2 *Amictus lumine ſicut veſtimento, extendens cœlum ſicut cortinam.*

3 *Contignans in aquis cœnacula ſua: ponens nubes currum ſuum, ambulans ſuper alas venti.*

4 *Faciens angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem flagrantem.*

5 *Fundauit terram ſuper baſes eius, ne nutet in ſeculum & perpetuum.*

6 *Abyſſo ſicut veſtimento operuiſti eam: ſuper montes ſtabant aquæ.*

7 *Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui ferentur præcipites.*

8 *Aſcendent montes, deſcendent valles ad locum quem formaſti eis.*

9 *Terminum poſuiſti ne tranſeant, ne reuertantur ad operiendum terram.*

10 *Mittens fontes in conuallibus inter montes ibunt.*

PARAPHRASIS PSALMI CIIII.

AVTHORE *EGLISEMMIO*.

MEns age, depoſitâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes. O inuiolabile Numen
Imperio penetrans magni ſacraria mundi,
Te niueæ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato velamine gloria veſtit.
Tendis vt aulæum rutili flammantia cœli
Culmina, mobilibus cænacula ponis in vndis.
Temones densíſq; rotas è nubibus aptans,
Ventorum alato peragras ſublimia curru.
Seruitum properat flammâ comitante voraci
Spirituum pēnata cohors. Ne ſedibus vnquàm
Pulſa datis abeat tellus compage ſolutâ,
Libratur grauitate ſui; ceù veſte fluenti
Alta ſuperfuſo velante cacumina ponto,
Delituit quondàm; tua vox vbi ſacra profundū
Increpuit, tonitrúq; poli ſonuere fragoſa
Murmura, præcipites fugiunt in cærula fluctus.
Conſpicui nudata leuant faſtigia montes,
Subſidente cauis humili cum vallibus agro,
Labitur ad priſcos aqua per decliuia fines.
In varios collecta ſinus, tranſuoluier illinc
Neſcia, plangendo reſonantia ſaxa laceſſit,
Nè liquido rurſùm latitet ſub marmore tellus,

Fontibus

PARAPHRASIS PSALMI CIIII.

AVTHORE *BVCHANANO.*

TE rerum Deus alme canam dominúmq; patrémq;
Magne parens, ſanctâ quàm maieſtate verendus,
Ætheris æternas rector moliris habenas!
Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
Et circumfuſum veſtit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria cœli,
Et liquidas curuo ſuſpendis fornice lymphas:
Et leuibus ventorum alis per inania vectus,
Franas ceu celeres volitantia nubila currus.
Apparent accinctæ auræ flammæq; miniſtræ,
Vt iuſſa accipiant. Stat nullo mobilis æuo
Terra, ſuper ſolidæ nitens fundamina molis,
Pollenti ſtabilita manu, terra obruta quondàm
Fluctibus, vt fuſo ſuper ardua culmina velo:
Sed ſimul increpuit tua vox, tonitrúq; tremendo,
Inſonuere auræ, paulatìm aſcendere montes
Cernere erat, ſenſímq; cauas ſubſidere valles,
Inq; cauas valles trepidas decurrere lymphas.
Neue iterùm immiſſâ tellus ſtagnaret ab vnda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas:
Tùm liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides vndas voluentia campos.

VERSIO TREMELLII. & IVNII.

1 Benedic anima mea Iehouæ, Iehoua Deus mi, magnus es valdè, magnificentiam & decorem induiſti.

2 Amiciens te luce tanquam panno, extendens cœlos tanquam aulæum.

3 Qui contignat aquis cœnacula ſua, qui diſponit denſas nubes in vehiculũ ſuum, qui itat ſuper alas venti.

4 Qui facit angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos ignem flãmantem.

5 Fundauit terram ſuper baſes eius, ne dimoueretur in ſeculum & perpetuum.

6 Abyſſo vt indumento operueras eam ſupra mõtes ſtantibus aquis.

7 Ex increpatione tua diffugerunt: a voce tonitrui tui accelerarunt fugam.

8 Condeſcenderunt per montes, deſcenderũt per valles, in locum quem fundaueras ipſis.

9 Terminum poſuiſti ne tranſeant, ne reuertantur ad operiendum terram.

10 Qui emittis fontes per ualles, vt inter montes ambulent.

VERSIO B. ARIOMONTANI.

11 *Propinabunt omni beſtiæ agri, frangent onagri ſitim ſuam.*

12 *Super eos volatilia cœli habitabunt, ex inter frondes dabunt vocem.*

13 *Adæquans montes de cænaculis ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

14 *Germinare faciens herbas iumento, & herbas ad obſequium hominum, ad educendum panem de terra.*

15 *Et vinum exhilarabit cor hominis, ad nitere faciendum facies ab oleo & panem qui cor hominis ſuſtentabit.*

16 *Saturabuntur ligna Domini, cedri Libani quas plantauit.*

17 *Vt ibi aues nidificent, ciconia abietes domus eius.*

18 *Montes excelſi ibicibus, petræ refugium leporibus.*

19 *Fecit lunam in ſtata tempora, ſol cognouit occaſum ſuum.*

20 *Ponis tenebroſitatem & fuit nox, in ipſa repet omnis beſtia ſylueſtris.*

21 *Leunculi rugientes ad prædam, & ad quærendam a Deo eſcam ſuam.*

22 *Orietur ſol, congregabunt ſe, & in habitaculis ſuis accubabunt.*

EGLISEMMIVS.

Fontibus è nitidis valles, argenteus, implet
Per tumidos riuus flectens veſtigia colles.
Libabit latices campis quæcunq; vagatur
Bellua, qui ſyluis onager ſe triſtibus abdit
Eximat ille ſitim: volucris quæcunq; ſtrepenti
Verbere pennarum vacuas nitetur in auras,
Hoſpitio frondente toros ſtructura loquaces,
Mulceat hic vocum tremulo diſcrimina cantu.
Ambroſio montes irrorant aſtra liquore,
Muneribus ſatiata tuis pecoríque viríſq;
Aptas obſequiis, alimentis dulcibus aptas,
Promit humus teneris gēmantes florib' herbas;
Pampineos animis nectentes gaudia ſuccos,
Et baccas oleæ fragrantis vt ora ſerenent,
Et cererem valido firmantem corda vigore.
Arboreos fætus, tineis imperuia cedri
Robora tu ſaturas, Libani quæ conſita celſo
Vertice, progeniem volucrum nidóſq; tuentur.
Nec minùs eſt fælix abies, hâc vimine texta
Pendula caſtra nouat clangente ciconia roſtro.
At lepori ſilices, pauidis iuga ſenta receſſum
Concilias damis: conſtanti temporis ortu
Inconſtans lunare decus renouare figuras,
Occiduóq; iubes pelago decumbere ſolem.
Tecta ſoporiferos piceâ caligine vultus
Nubila diffundis tacitam ducentia noctem.
Proruit intereà ſpeluncis acre ferarum
Agmen, & auxilium cœleſte leunculus eſcam
In prædam exorans, rugitibus æthera pulſat.
Sole recens orto latebroſis inuia dumis

Antra

Vndè ſitim ſedent pecudes quæ pinguia tondent
Paſcua, quiq; feris onager ſaxa inuia ſyluis
Incolit. Hic leuibus quæ tranant aëra pennis,
Per virides paſsìm ramos ſuos tecta volucres
Concelebrant, mulcéntq; vagis loca ſola querelis.
Tu pater aerios montes, campóſq; iacentes
Nectare cæleſti ſaturas, fœcundaq; rerum
Semina vitales in luminis elicis oras.
Vndè pecus carpat viridis noua pabula fœni,
Vnde olus humanos geniale aſſurgat in vſus;
Quæq; nouent feſſas cerealia munera vires,
Quæq; hilarent mentes iucundi pocula vini,
Quíq; hilaret vultum ſuccus viridantis oliui.
Nec minùs arboribus ſucci genitabilis humor
Sufficitur. Cedro libanum frondente coronas
Alitibus nidos: abies tibi conſita ſurgit,
Nutrit vbi implumes peregrina ciconia fœtus.
Tu timidis montes damis, caua ſaxa dediſti,
Tutus vt abſtruſis habitaret echinus in antris.
Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis, puróq; accenſum lumine ſolem
Ducis ad occiduas conſtanti tramite metas.
Inde ſuperfuſis cuncta inuoluentibus vmbris,
Per tacitas ſpargis nocturna ſilentia terras.
Tum fera prorepit latebris, ſyluiſq; relictis
Prædator vacuis errare leunculus aruis
Audet, & e cœlo mugitu pabula rauco
Te patrem expoſcit: dein rurſus ſole renato,
Abditur occultis prædatrix turba cauernis:
Inq; vicem ſubeunt hominúmq; boúmq; labores,

11 Potû præbeant omnibus animantibus agri: frangrant onagri ſitim ſuam.

12 Iuxta Illos volatilia cœli habitent, e medio frondium edentia vocem.

13 Qui irrigat montes e cœnaculis ſuis, vt a fructu operum tuorum ſarietur terra.

14 Faciens vt germinet fœnum ad iumenti, & herba ad hominis vſum, vt depromant cibum de terra.

15 Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo, & cibo cor mortalis fulcit.

16 Satiantur arbores Iehouæ, cedri Libani quas plantauit.

17 Vbi auiculæ nidificent, abietes domicilia ciconiæ.

18 Montes excelſiſſimi rupicaprarum, petræ montanorum murium perfugium.

19 Statuit lunam in ſtata tempora, ſolem agnoſcentem occaſum ſuum.

20 Diſponis tenebras vt ſit nox, quâ erumpunt omnia animâtia ſyluæ.

21 Iuuenes leones rugientes ad prædam; & quidem quærendo a Deo forti eſcam ſuam.

22 Exorto ſole recipiunt ſe, & in luſtris ſuis recubant.

23 Prodit homo ad opus ſuum

VERSIO B. ARIÆ MONTANI.

23 *Egredietur homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam vſq; ad veſperum.*

24 *Quàm multiplicata ſunt opera tua Domine! ipſa omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua.*

25 *Hoc mare magnũ & latum manibus: ibi reptile, & non eſt numerus beſtiæ puſillæ cum magnis.*

26 *Ibi naues ambulabunt leuiathan iſte quem formaſti ad ludendum in eo.*

27 *Vniuerſa ipſa ad te ſperabunt ad dandum eſcam in tempore ſuo.*

28 *Dabis eis colligent, aperies manum tuam ſaturabuntur bono.*

29 *Abſcondes facies tuas terrebuntur; colliges ſpiritum eorum expirabunt: & in puluerem ſuum reuertentur.*

30 *Emittes ſpiritum tuum creabuntur & innouabis facies terræ.*

31 *Erit gloria Domini in ſeculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.*

32 *Aſpiciens ad terram & tremet, tanget in montes & fumabunt.*

33 *Cantabo Domino in vitis meis, canam Deo meo quandiu fuero.*

34 *Dulceſcet ſuper eo eloquium meum ego lætabor in Domino.*

35 *Conſumentur peccatores de terra & impii vltra non erunt: Benedic anima mea Donino* Halelu-Iah.

EGLISEMMIVS.

Antra ſubit: remeãt alacres ad plauſtra coloni,
Donec purpureus det ſera crepuſcula veſper.
Sancte opifex quanto moliris cuncta decore,
Conſilióq; ſtruis! Moles terrena tuarum
Diues opum exultat; latè circumſonat ingens
Oceanus; ſeu parua lubet, ſeu magna ciere
Corpora ſquamigerûm, vitreâ cõplectitur aluo
Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas.
Pandentes leuibus naues cita carbaſa ventis,
Marmoreóq; ſinis balænas gurgite paſsìm
Carpere iucundos placido molimine ſaltus.
In te ſumme parens hæc inclinata recumbunt
Omnia, temporibus victum poſcentia certis.
Te dante accumulant, dextrã laxante renident
Exaturata bonis, vultum celante paueſcunt.
Vitales reſecante moras animæq; nitorem,
Protinùs in tenuem vertũtur pulueris vmbram.
Aſperſo rediuiua tuo ſpiramine ſurgunt,
Squallentiq; redit facies lætiſſima terræ.
Compleat æterno venientia ſæcula plauſu
Fama Iouæ: charas, operũ monumenta ſuorũ
Delicias rex vſq; vocet, cui viſa repentè
Terra tremit, rupes tactâ radice vacillans
Exudat refugos dorſo fumante vapores.
Carmẽ erit Deus iſte mihi, quoàd vltima vitæ
Linea ſuccedet, mihi pars quoàd vlla ſuperſtes,
Illi ſacra canam memori præconia cultu.
Dulce melos meditatus eï, lætabor eodem;
Rapta ſed in nihilũ terras gens praua relinquat.
Pange Deo laudes poſitis mens libera curis.

FINIS.

Donec ſera rubens accendat lumina veſper.
Sic pater in cunctos didis te commodus vſus;
Nec tantùm tellus, genitor tua munera ſentit,
Tam varijs fœcunda bonis: ſed & æquora ponti
Fluctibus immenſas circumplectentia terras
Tam laxo ſpatioſa ſinu: tot millia gentis
Squammigeræ tremulâ per ſtagna liquentia caudâ,
Exultant: tot monſtra ingentia & horrida viſu
Veliferas circumnant puppes; grandia cete
Effingunt molles vitreo ſub marmore luſus.
Atq; adeò quæ terra aruis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te vno pendent, pater optime, téque
Quæq; ſuo proprium poſcunt in tempore victum.
Te magnam pandente manum ſaturantur abundè
Omnia: te rurſùs vultum condente ſatiſcunt.
Te tollente animam, ſubitò exanimata, recurrunt
In cinerem, inſpirante animam te denuò, ſurgit
Illicò fæcundæ ſobolis generoſa propago,
Et deſolatas gens incolit aurea terras.
Sic eat, ô nullo regnet cum fine per æuum
Maieſtas diuina, ſuumq; in ſecula lætus
Seruet opus Deus, ille Deus, quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant.
Fumiferâ trepidum nebulâ teſtante pauorem.
Hunc ego, dum viuam, dum ſpiritus hos reget artus,
Vſq; colam, tantùm ille meas facilíſq; bonúſq;
Accipiat voces: nempè illo oblector in vno.
At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet, ac nos
Te rerum Deus alme patrem dominúmq; canemus.

FINIS.

& ad culturam ſuam vſq; a
veſperam.
24 Quàm ampla ſunt oper
tua ô Iehoua! quàm ea om-
nia ſapienter feciſti! quàm
plena eſt terra à poſſeſſion
tua!
25 In ipſo mari magno & ſpa-
tioſo, illic reptilia ſunt, atq
innumera animantia parua
cum magnis
26 Illic naues ambulant, ba-
læna quam formaſti ludendo
in eo.
27 Omnia iſta in te expectati-
onem habent, vt des eſcam
eorum in tempore ſuo.
28 Te dante ipſis colligunt: a-
periente manum tuam ſatian-
tur bono.
29 Abſcondente faciem tuam
conturbantur, recipiente ſpi-
ritum eorum expirant, & in
puluerem ſuum reuertuntur.
30 Emittente ſpiritum tuum
recreantur: deniq; renouas
faciem terræ.
31 Sit honor Iehouæ in ſecu-
lum lætetur Iehoua in operi-
bus ſuis.
32 Quo intuente terram, tre-
mit illa; attingente ipſos
montes fumant.
33 Canam Iehouæ in vita me-
a: Pſallam Deo meo quantiſ-
pèr ero.
34 Suauis erit de eo meditatio
mea, ego lætabor in Iehoua.
35 Deficiant peccatores à ter-
ra, & improbi ampliùs non
ſint: Benedic anima mea Ie-
houæ *Halelu-Iah.*

GEORGII EGLISEMMII

Aduerſùs *Andreæ Meluini* cauillum in aram regiam *Epigrammata Prophylactica.*

MELVINI Cauillum.

Cvr ſtant clauſi Anglis duo libri Regis in ara,
Lumina cæca duo, pollubra ſicca duo?
An ſenſum cultúmq; Dei tenet Anglia clauſum,
Lumine cæca ſuo, ſorde ſepulta ſuâ?
Romano ritu Regalem dùm inſtruit aram,
Romanam pingit relligioſa lupam.

EGLISEMMII *Prophylacticum primum.*

Quid ſine luce *faces*, ſine flumine *pollubra*, clauſos
Regia Brutiadûm ſuſtinet *Ara libros?*
Cælica num fragiles fugiunt myſteria ſenſus,
Lumina pura Dei, *flumina* ſacra Dei?
Si pius es, clauſas reſerabunt *Biblia* portas,
Lumina pura videns, *flumina* ſacra bibes.

Prophyl: 2.

Fruſtráne *Ara* gerit, ſine lumine *Lumina* bina,
Biblia clauſa duo, *Pollubra* ſicca duo?
Tutum ſtrauit iter clauſo de limine Chriſtus,
De ſalebris lympham, de tenebríſq; diem.
Sedula mens precibꝰ, prȩcluſa volumina voluet,
Cui tenebroſa micant, pollubra ſicca madent.

3

Fax, *peluis*, *codex*, non ſtridula, ſicca, ſeratus,
Piſtin, baptiſmum, myſtica ſacra notat.
Clauditur arca Dei, clauduntur *Biblia*, ſignant
Pollubra baptiſmum, *fax* taciturna fidem.
Pollutis oculis, manibúſue oracula tanta,
Non adeunda homini Principis *Ara* monet.

4

Stat *Liber* occluſus, *lanx* arida, *lumen* adeſum,
Fæderis iſta noui pignora priſca manent.
Clauſa reluctanti, properantibꝰ alma pateſcunt
Biblia, de Chriſti vulnere lympha cadit.
Subijciat guttis animam cæleſtibus æger,
Senſibus occultum *lumen* ab axe feret.

5

Anglia te monitis Regalibus inſtruit *Ara*,
Pollubris, *libris*, *luminibúſq*; ſacra.
Lumina non oculo, ſed concipe mente, profanis
Claude *Libros*, lachrymis *Pollubra* ſicca reple.
Ara licet Latios imitetur Regia cultus,
Diceris Latiam non imitata *Lupam*.

Prophyl: 6.

Milue rapax, fecit quẽ mens maleſana dicacem,
Senſa Dei haud Anglis ſed tibi *clauſa* latent.
Lumen inacceſſum, præcluſáq; *Biblia* pandet,
Luſtrali quiſquis fonte *lauacra* petit.
Qui ſenſum hæc cultúmq; Dei ſpirantia temnit,
Sordidus eſt, tumido cæcus amore ſui.

EIVSDEM EGLISEMMII
Epigrammata Miſcellanea.

MAIESTATI REGIÆ
Carmen AVREVM.

(labellum
AN loquar? an ſileam? rudis hinc mihi Muſa
Obſtruit, hinc Muſas *Aureus* vrget amor.
Quid non vincit amor, Superos qui vicit, vt vni
Cuncta IACOBE ſimul dent ſua dona tibi?
Quicquid in arcanis *Auri* ornatíq; recluſum,
Id pater omnipotens inſerit omne tibi.
Cum tua te genetrix orientem redderet orbi,
Orbi ſurgebant *Aurea* ſigna tuo.
O ter felicem quem protulit *Aurea* Diua,
Aureus vnde tui ſanguinis ordo fluit!
Non hic laudis apex, Parcæ fatalia nentes
Stamina, donârunt *Aurea* fata tibi.
Aſpirant te Rege, tuis modò ſæcla Britannis
Aurea, cum Diuis *Aurea* ſæcla tibi.

Aurea

Aurea vis animi, dulcis decor *Aureus* oris,
Dùm vocem exerces, *Aurea* lingua tibi.
Aurea Muſa tibi, calamo fluor *Aureus* exit,
Deq; tuis populis *Aurea* cura tibi.
Aureolam ſobolem Regina dat *Aurea* Regi,
Aurea nam coniunx *Aurea* Nympha tibi.
Aurea regna tibi, vigor *Aureus*, *Aurea* forma,
Aureolis digitis *Aurea* ſceptra moues.
Et quæ pertuleras quondàm diſcrimina vitæ,
Non mala ſunt, ſed ſunt *Aurea* mala tibi.
Aurea Maieſtas rutilante potentior *Auro*,
Muneribus pollens *Aurea* dextra tibi.
Aurea terra tibi, polus *Aureus*, *Aureus* orbis,
Aurea dat virtus *Aurea* cuncta tibi.
Aurea vita tibi, poſt facta tot *Aurea*, ſerò
Finiat *Auratos*, *Aurea* Parca dies.

Periocha faceta.

Ergo tibi *Aurato* cùm ſint ſimul omnia Regi
Aurea, num tribues *Aurea* dona mihi?

Tuæ Maieſtati deuotiſ-
ſimus ad aras,
G. Egliſemmius.

EIDEM EIVSDEM.

Infantis Genius.

VErſabam celeres pulſato turbine gyros,
Infanti nondùm lingua trienniѕ erat.

Area nobilium turbâ regníq; dynaſtis,
Mille viris, vno Rege decora ſtetit.
Vt video! vt ſalio! deſpecto turbine, rectam
Ad Regem pandunt fata ſerena viam.
Per medios Comites genio ducente Deóq;,
Regis ad amplexum cor oculúſq; rapit.
Dextra femur Regale tenet, vocat altera fidum
Cuſtodem, laudes lingula blæſa ſonat.
Hæreo ſic digitis Regalibus oſcula figens,
Vt mora nec Regi, nec mihi dura fluat.
Quod poſco, obtineo, ſonipes me Regius auro
Oſtróq; inſignis, per loca tuta vehit.
Regali infantis genio laudéſq; canenti
Principis, applaudit Rex procerúmq; cohors.
Omina ſi valeant, celebret fauus ore Platonem,
Regia det laudem lingua manúſq; mihi.

EIDEM EIVSDEM
MNEMOSYNON.

Dum Regij Medici locum Ambiret.

REx animæ pars magna meæ, qui iura Britãno
Das populo, Muſis ſpes *Iacobe meis*.
Qualis *Hamiltoniâ* tua vox ſpirauit in arce,
Sæpè mihi talem Regia facta ſonent.
Ne patris in tumulo Muſas mihi Parca locaret,
Iurâſti patrem te fore velle mihi.
Dicta fidem accipiant, patrẽ vel tolle ſepulchro
Vel mihi te patrem redde Monarcha nouum.

O quater;

O quater! ô nimium Muſas te patre beatas,
Si Medicum ſtatuant me tua iuſſa tuum!

EIDEM GRATIAE.

(grates?
QVas tibi perſoluam, Regum Rex optime,
Nec mihi vota ſatis, nec mihi verba placēt.
Quælibet in votis in verbis gratia quænis
Soluitur, eſt maior gratia danda tibi.
Munera nulla mihi tanto ſunt Principe digna,
Æqua tuis donis munera nulla mihi.
Muſa tamen ſupereſt, ſi quæ donata ſuperſunt,
Hæc tua ſit ſempèr, quæ tua ſempèr erat.
Sed minor eſt bonitate tuâ, ſi dona rependi
Magna cupis, magnum da mihi poſſe diù.

DE REGIBVS MAGNAE Britanniæ & Daniæ, in publicum ſimul prodeuntibus.

Epigramma.

NVlla duos iunctim viderunt ſæcula ſoles,
Læta videt Reges terra Britanna duos.
Dùm ſimili binos Reges veneratur honore,
Quis Regum eſt noſter plebs comitata rogat?
Scilicet amborum fælix concordia, nullis
Diſcrimen digitis inter vtrumq; notat.

DE MONARCHIA MEGALO-britannica, & legatione Gallica illuſtriſſimi Ducis, Ludouici *Stewarti*, Ducis *Lenndxij*, &c. *Encomiaſticon.*

QVà Cynoſura micat, medio iacet orbe fretóq;
Inſula regnatrix pelagi, cui fortia condit
Mænia Neptunus, pictíſq; onerata carinis
Littora cõcelebrant, hominũ Diuûmq; labores.
Inſula bellatrix, Cereri gratiſſima ſedes; (ſim
Rerũ hominúmq; ferax, ter nobilis inſula, paſ-
Fæcundis cumulata bonis, cui diuitis auri
Argentíq; fluunt, viridi ſub gramine venæ.
Non vna ſub gente priùs, tranquilla nec vno
Principe, ſed Dominis ſempèr diſcordibus acta.
Perpetuis laſſata malis, ſua viſcera flammis
Et ferro lacerans, in mutua vulnera fratres
Vicinóſq; trahens, venerandæ neſcia pacis;
Donec diſcutiens radijs fulgentibus vmbras,
Ceu nouus exoritur Titan IACOBVS ab Arcto,
Qui centum & ſeptem Scotis è Regibus ortus
Imperij triplicis triplici diademate gaudet.
Illius auſpicio, ſpectacula ſæua furentis
Inuidiæ Martíſq; ruunt. O mitia terris
Numina! Certârunt Latiíq; aliíq; Monarchæ
Cædibus innumeris ſolio tot ſecptra ſub vno
Iungere, quod trucibus renuit Bellona tyrãnis;
Vnicus hic Regni totas fortitus habenas
Aptauit triplices capiti ſine cæde coronas.
Oceano terrâq; potens, modò proximus aſtris,
Solis

Solis vtraſq; plagas vigili compleuit honore.
Eius ad arbitrium totus iam pendulus hæret
Orbis, & humanis concordia publica rebus,
Diſſidiumue ferox, cuius ſacra dextera mundũ
Turbare aut ſedare queat. Sed mente ſupremâ
Deſpiciens Martem, placidæ iucunda quietis
Munera ſydereo ſpargit fulgore per orbẽ. (tes,
Dúmq; apud externas peragit noua fœdera gẽ-
Inuenit haud alium quã te *Ludouice* Dynaſtã,
Qui ferat ad Regem ſolij myſteria Gallum.
Tu preſtans animi, tu ſanguinis inclytus ortu,
Regia Celtarum Scoto cum ſtemmate iungis
Stemmata, non vlli nitidâ virtute ſecundus.
Solus ad alta volans tantæ faſtigia laudis,
Mitteris, ante alios *Iacobo* gratior omnes.
Sic tuus aſtricolæ *Darlæus* patruus olim
Reginæ dilectus erat, quem legerat illa
Regalis thalami ſocium, voluitq; ſacrati
Principis eſſe patrẽ, totus quem ſuſpicit orbis.
Ergo age Numinibus dic Regia verba ſecundis,
Et Regi *Ludouice* refer ſua vota, nec vnquàm
Corporis aut animi ſuccumbe laboribus vllis,
Gratanti donec reducem te ſpectet in aula.

DE SERENISSIMO REGE
præcauente ignes pulvereos.

ISacius vates IACOBVS certa futuri
Symbola, diuino percitus igne dedit.
Magnanimus Princeps IACOBVS, cælitùs ignes
Puluereos ſacro præſcius igne fugat.

Sere-

Sereniſsimo *Magnæ Britanniæ* Principi, Carolo Iacobi Magni Filio;

DE GENEALOGIA REGIA,

Stndio literatiſſimi Antiquarij, *Iacobi Maxuelli* collecta, *Egliſemmij* Epigramma.

QVi genus, & radio proauos tibi *Carole* Diuos
Deſcribet, nunquid Maximus ille tuis?
Maximus & *Maxuellus* erit, qui ſera nepotum
Sæcula mulcendo, te proauóſq; canet. (chas
Imperatores 60. — Dat decies quinos, bis quinq; dat ille Monar-
Imperia 2. — Cæſareo *Auguſtos* faſce tuâq; domo.
Reges 270. — Bis centum Reges, decies ſeptémq; recludit
Nectentes generis ſtemmata dia tui.
Regna 30. — Hinc tibi regna ſuum tricena dedere nitorem,
Hinc tibi regnorum ſceptra gerenda trium.
Principes 800. — Principibꝰ, Ducibꝰ, quibꝰ eſt & Marchio nomẽ
Ex octingentis te vetus ambit honos.
Familiæ 130. — Ter denas centúmq; domos ab origine prima
Heroum ſerie, ſtirps tua ſacra beat.
Cælo nobilitas, cælo te nobilis æquat,
Extremum virtus non habitura diem.

EIDEM

Aliud eiuſdem de Carolis *à* Maxuello *notatis.*

VIceni & ſeptem *Carolis* celebrantur in vna
Stirpe tuâ Heroes *Carole* care Dijs.

Carolus

Carolus hâc *Pulcher*, *Carolus* quoq; *Malleus* exit,
Carolus & *Magnus* prælia magna gerens.
Carolus & *Doctus*, ſimul eſt & *Carolus Audax*
Te nono accedens *Carole* vtrinq; gradu.
Carolus hâc *Sanctus*, *Sapiens* hâc *Carolus*, alter
Eſt *Benè* qui *Natus*, qui vel *Amatus*, abit.
Hâc alij plures digno cognomine clari,
Clarior in te vno quilibet vſq; viget.
Pulcher, *Martellus*, *Magnus*, tu *Doctus*, & *Audax*,
Tu *Sanctus*, *Sapiens*, ſempèr *Amatus* eris.

De *Maxuelliana* deductione Genealogiæ CAROLI principis per vtrumq; parentem ab Auguſtiſſima domo *Auſtriaca*.

Epigramma.

EXultet Iunone Samos, iactétq; Dianam,
Aut Phæbum Delos, cærula Creta Iouem.
Exuperat Cretam, Delon, domus vna, Samónq;
Auſtria, quâ nuſquàm clarior vlla domus.
Auſtria Iunonem, parit *Auſtria* ſæpè Dianam,
Cum Phæbo enitens *Auſtria* ſæpè Iouem.
Auſtria Diuorũ, Procerum domus *Auſtria* fælix,
Regnorum fælix, Imperiiq; parens.
Vt rerum dominos, ſic te quoq; *Carole* nobis,
Sit longinqua licet, protulit illa tamen.
Bis ſenis vicibus, tibi promit vtrúmq; parentẽ;
Rodolphum, *Albertum*, conſpicis inter auos.

Siue *Triumphator* validis *Albertus* in armis,
Si vel *Honoratus* dictus, vterq; tuus.
Reddat *Honoratum*, te fælix *Auſtria* patrem,
Téq; *Triumphantem* reddat (vt optat) auum.

EIDEM EIVSDEM
De *Maxuelliana* deductione genealogiæ *Carolinæ* ab *Alberto Brandeburgico*, Principe prudentiſſimo, fortiſſimo, fortunatiſſimo, cognométo *Achille* & *Vlyſſe* Germanico.

Epigramma.

SEptimus *Alberto* nodus te iungit *Achilli*,
Natalis ſimili menſe diéq; parit.
Carole te ſimilem Mars & *Sapientia* præſtent,
Voto ſuccedens vitáq; ſórſq; tuo.

Potentiſsimi Monarchæ IACOBI *Magnæ Britanniæ* Regis,

Ana- { CAROLVS IACOBVS STEVARTVS } *grã-*
{ SALVVS CVBO, SACRA RESTITVO } *ma.*

Epigramma.

IN noſtram inſidias crudelis turba ruinam
Struxerat, huic dirâ non niſi morte quies.
Iam

Iam propè lux aderat tanto opportuna furori,
Regalem in cineres penè datura domum.
Cura Dei literis noſtros exercet ocellos,
Atq; animos, flãmis damna cauenda monens.
Panditur extemplò necis horrida ſemita, quíq;
Fata aliis voluit proditor, ipſe tulit.
Indè CVBO SALVVS, pro regno, prole, domóq;
Soſpite, RESTITVO SACRA trophæa Iouæ.

Aliud.

Ana-grã-ma. { CAROLVS IACOBVS STEVART } { SCOTI LAVS VERA SVB ARCTO }

Epigramma.

ARctoo propior reſidet gens nobilis axi,
Semper ab externo libera ſola jugo.
Marte viríſq; potens, quã nemo impunè laceſſit,
Victrices referens hoſte furente manus.
Diues opum, diues clauſis tellure metallis,
Commoda finitimis non oneroſa locis.
Pectore veraci ducibus fidiſſima, cunctis
Artibus ingenuis nobilitata viget.
Hæc te læta dedit cunctis *Iacobe* verendum,
Hæc tacitè memorem te monet eſſe ſui.
Sis quamuìs alibì fultus cultúſq;, SVB ARCTO
VERA tamen SCOTI LAVS columénq; manet.

Aliud.

Ana-grã-matiſ-mus. { CAROLVS IACOBVS STEVARTVS } { ALATVS AC VERVS ORBI CVSTOS }

Epigramma.

ATlantis domitor Perſeus, domitórq; Meduſæ
Peruolat alato nubila celſa pede. (tem,
Conſpicit Andromedam lethalia vincla geren-
Eſſet vt æquoreæ præda cruenta feræ.
Ingemit, & fato dignam meliore tueri
Ardens, ſquamigero victor ab hoſte redit.
Haud ſecùs ad duras religata Britannia cautes,
Finitimis dudùm præda futura locis.
Ante tuũ aduentũ, Rex maxime, vincla gerebat,
Vincula mæroris, vincula Martis erant.
Laus tua, ceu Perſeus, totum ſupereuolat orbẽ,
Et tua ceu Perſeus, dextera, monſtra necat.
Quod fuit Andromedæ Perſeus, ALATVS ES ORBI
AC VERVS CVSTOS, ſemideúſq; pater.

DE EIVSDEM NATALI DIE 19. IVNII.

Augurio iungendorum regnorum 19.

Epigramma.

V*Allia* tres Regum, bis quatuor *Anglia* ſedes,
Hibernus quinas, *Scotia* tréſq; dedit.
Si numero coëant, ſi Principe, *dena nouémq;*
Regna dabunt, vno Rege beata ſimul.
Qui *nonâ* & Iunî *decimâ* ſub luce Monarcha
Naſcitur, ille *nouem* regna *decémq;* tenet.
O longùm teneat, cælum dùm ſydera voluet,
Dum fluidos voluet pontus & aura ſinus.

Hoc

Hoc ſi fata negent, miſerum ſi deſerat orbem,
Angelicos orbes vt Patriarcha regat.

EIDEM EIVSDEM.

De Genealogia Regis ac Principis ſtudio doctiſſimi Antiquarij *Iacobi Maxuelli* a *Carolo* Magno inter 27. *Carolos* rationibus 100. delineata, intérq; *Iacobos* 19. a *Iacobo* ſortunato 52. modis ducta.

Epigramma.

NOn mage textilib' victrix diffuſa corymbis,
Quercũ hedera in viridi lambit & ambit agro:
Sed neq; viuaces hederæ magis implicat artus,
Multiplices vitis, ducta, reducta, vias:
Quã te Magne Pater *Carolo* cum Principe, *Magnum*
Ad *Carolum* generis clara propago trahit.
Maxuello retegente diem, fluit ordine, centum
Diſtinctis in te *Carolus* ille modis.
Perq; nouem ac denos *Iacobi* nomine patres,
A *Fortunato* ſtat tibi Rege decus.
Bis tibi vicenis, bis ſenis tractibus ortum
Suggerit, auſpicio nobilitante genus.
Hunc iuncta *Heſperia* generoſa *Valentia* primum
Regni vnitorem nomine, faſſa colit.
Te *Fortunato*, *Caroloq;* Britannia Magno,
Maiorem vt ſeruet maxima vota facit.

EIDEM EIVSDEM
De ſereniſsimo Principe ENNONE, Friſiæ Orientalis Comite, Domino in *Eſens*, *Eſtendorf* & *Witmond*, &c.

Epigramma.

TE totus licet orbis amet, Rex maxime, toto
Non minor eſt Princeps *Friſius* orbe tibi.
Exerit vt cunctos opali noua gemma colores,
Virtutum cunctas ſic gerit *Enno* vices.
Enno tuas totiès in laudes ora reſoluit,
Certat & officijs exuperare tuos.
Omnia ſic peragit, ſic omnia fatur, vt ori
Aut auri nil te gratius eſſe putet.
Tantis pro meritis Comiti Regalia fata
Donares, voto ſi Themis æqua foret.

EIVSDEM.
In obitum viri præſtantiſsimi.

Epitaphium.

ORTV, VITA, FAMA, LIBERIS, ILLVSTRI, SEV BELLO, SEV PACE SVSPICIENDO, DOMINO THOMÆ HAMILTONIO A PREISTFEILDE, REGII CONSESSVS SENATORI, FEBRE SVBREPTO, ANNO 1615. MAII, 15, ÆTATIS 78. MNEMOSYNON HOC LVGENTES POSTERI STATVERVNT.

EPICEDIVM.

STirpis *Hamiltoniæ* germen prænobile, *Thomas*,
Hoc tumulo, patriæ lucida gemma, latet.

Deliciæ

Deliciæ Procerum, populi ſpes, Martis alumnus,
Dextera Muſarum, pacis ocellus adeſt.
Conſilijs Regem, fulciuit lege Senatum,
Exemplo cunctis profuit ille ſuo.

ALIVD.

Flos *Hamiltonidum* beate *Thoma*,
Fælix nobilitate, Marte fælix,
Fælix iudicio, boniſq; fælix,
Fælix conſilijs, honore fælix,
Fælix coniuge, prole, morte fælix,
Dulces exuuias dicans ſepulchro
Nec vitam, neq; terminas honorem.

Eruditionis Eximiæ Virgini Bathſuæ Reginaldæ.

Epigramma.

REginalda ſacræ vatum Regina choreiæ,
Diſſimilem Daphnes te tua fata volunt.
Obtusâ Daphnen, ſed acutâ cuſpide Phæbum
Fixit Amor, Muſis inuidioſus Amor.
Indoluit tandèm, Phæbæàq; vulnera tollens,
Te ſimul auratâ cuſpide (Virgo) ferit.
Spreuit Apollineas Daphne Peneïa voces
Blanditias fugiens, delitiaſq; Dei.
Tu Phæbum ſequeris, te *Bathſua* lætus ab alto
Vertice Parnaſſi Phæbus in aſtra vehit.
Verſa eſt in laurum Daphne, ſed vertitur in te
Laurus, & in celebrem verteris ipſa Deam.

EIVSDEM

In obitum lectiſsimæ Virginis

Mariæ Candidæ, ex amici odio ſimulato, morbo & morte correptæ.

Epitaphium.

MVltorum Virgo ſpes inuidioſa procorum,
Ambiguum fecit cui placitura foret.
Mors dubium ſoluit, ſupremæ victima ſorti,
Candida quæ fuerat, pallida facta iacet.
Iram ne ſimulet, ne candida pectora ſallat,
Quem *Mariæ* occaſu mortis imago ſubit.

EIVSDEM
In lauream Doctoralem

Henrici Blacuodei iunioris carmen augurale.

Anagram- { HENRICVS BLACVODEVS / EN HOC DVCE SALVS VRBI } *matiſmus.*

Epigramma.

ROmuleas arces olim temerauit & auras,
Dira lues pecudum ſtrage virûmq; ferox.
Funeribus laſſi Phœbæa oracula ciues,
Supplicibus votis conſuluere diù.
Sacra Deus reſponſa tulit, non numine noſtro
Eſt opus, a noſtra prole petenda ſalus.
Partiſij haud alitèr Proceres decus vrbis & orbis,
Numen vt in morbos auxiliare vocent;
A *Blacuodæo* poſcunt oracula patre,
Ille refert, proli cuncta remitto meæ.

Huic

Psalmi CIIII
Paraphrasis.

Magne Deus, qui cuncta regis, quem cuncta verentur
Tu mihi carmen eris. Quam plena in Numine sancto
Fulget Maiestas! Te gloria, te decor ambit
Æthereis septum radijs: tibi lumine puro
Circum palla micat: tu tractum ingentis Olympi
Tanquam coeruleum pandis per inane tapetem.
Nat summis in aquis tibi regia; fornicis instar
Surgunt pensilibus laquearia fulta columnis;
Et quoties scandis celsas è nube quadrigas,
Attentus toties tibi copulat Æolus Euros.
Venti obeunt tua iussa; ignes tibi sponte ministrant,
Deportantq; tuas alis ardentibus iras.
Stat grauis ipsa suo nitens libramine Tellus,
Dextrâ firma tuâ: quondam superantibus vndis
Tecta, palus ingens nullo cum fine pateret,
Et nondum extarent nudato vertice Montes.
At simul è coelo vox imperiosa Tonantis
Infremuit, mora nulla, ruunt perculsa deorsum

Flumina

Flumina, nascuntur colles, vallesq; resident.
Et sibi decretas seruant in secula sedes.
Illhic limes aquæ positus, quem clausa veretur
Transire, et vetitis rursus excurrere campis.
At fontes placidi, lætisq; in vallibus amnes
Serpunt innocui, præbentes pocula grata
Mansuetisq; ferisq; simul: quin rupibus errans
Ipse Onager potum accurrit: cunabula ponunt
Hîc pictæ volucres, ubi densâ in fronde canentes
Argutas resonare docent tua nomina syluas.
Tu Deus ex adytis foecundo depluis imbre
In steriles agros, prægnans ut semine terra
Agricolæ referat plenos cum foenore fructus.
Hinc pecudes viuunt vernanti gramine pingues,
Hinc homines herbâ passim vescuntur eduli,
Omnigenasq; dapes proprios sectantur in usus.
Vini delicias, animis quæ mollia fundant
Gaudia; vim Cereris, veniat quã robur in artus;
Luaq; nitet facies, lacrymam splendentis olivi.
Inde etiam arboribus vita influit; inde senectus

A te

A te monte satis Libano, tardissima cedris.
Ne thalami desint auibus, stat nubibus altis
Iuncta abies, paruos vbi grata Ciconia foetus
Educat, et vescos in nidum subuehit angues.
Parte alia aëriæ pertingunt sydera cautes,
Vt ludant Capreæ; hinc montes nemorosaq; septa
Eminus apparent timidis habitacula damis.
Te Duce per varios peragit stata tempora vultus
Luna, suumq; petit te Sol monstrante cubile.
Succedunt tenebræ: tenso mox omnia velo
Tecta latent: fessos homini sopor occupat artus.
At non illa feris requies: tum cedere lustris
Incitat esuries: tutis leo paruulus agris
Audet grassari, poscitq; rugitibus escas.
Sol redit? ad latebras redeunt, iterumq; remotis,
Ne cuiquam noceant, placide stabulantur in antris.
Ad pensum tum surgit Homo, variosq; retractat,
Nec dimittit opus, nisi prima nocte, labores.
O immensa operum moles! ô cognite nulli
Consilia! ô magnis bonitas immensior actis!

Est

Est tua Terra, suas domini de munere dotes
Mirata ostentat, Dominumq; in munere laudat.
Quid referam ulterius vasti miracula ponti,
Ignotosq; sinus, densis ubi laxa natantum
Castra patent turmis, et libera piscibus arua,
Seu saliant sub aquis parui, seu montibus æqui
Terrificent medio gradientes æquore pinus?
Quos inter Balæna præit, Balæna potentis
Dextræ opus, et notis voluendo ludit in undis.
Hæc tua sunt, hæc Patrem oculis orantibus unum
Spectant, èq; tuis mendicant fercula mensis.
Si spargis, cumulant, si dextram expandis, abunde
Læta fluunt opibus; vultus si condis amicos,
Aut tristes aperis, alto glaciata pauore
Expirant, fiuntq; iterum de puluere puluis:
At simul afflauit placati spiritus oris,
Tum recreata vigent, vitæ donata priori;
Exultatq; nouã reparata propagine tellus.
Sic tuus ô semper maneat decor ô Deus! ô sic
Gestiat eximijs tecum Sapientia factis,

Cuius

Cuius ad aspectum tellus conterrita primum
Æstuat, et trepido fumant à culmine montes.
O utinam solos mihi concedatur in usus
Vita fugax, ut te memorem! dum suppetet ætas
Laudabo Dominum: peccando gaudeat audax
Impietas, properetq; suâ sibi mole ruinam,
Et toto penitus Mundo succisa facessat;
Tu mihi carmen eris, tu menti sola voluptas
Magne Deus! qui cuncta regis, quem cuncta verentur.

G. R.T.